



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia
illustrata: facundissimis ...

Beda <Heiliger>

Coloniæ Agrippinæ, 1688

Brideferti Ramesiensis in eundem libellum commentariolus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72031)

BEDÆ PRESBYTERI LIBER DE LOQVELA PER GESTUM DIGITORUM, ET TEM- porum ratione.

In eundem librum Epistola cuiusdam docti ad Lectorem.



Quoniam fortasse ut res quaedam nova, com-
putandi ratio à doctissimo Beda tradita, ita
etiam levius quippiam tibi facile videri pos-
sit: statui è re fore, si tibi quum Græcorum,
tum Latinorum testimonia quædam proferrem, quibus
hanc numerandi rationem haud modo nostris, itque an-
tiquioribus quam Beda ac Hieronymus fuerint, verum
etiam ipsis Græcis in usum fuisse percipias. Ita enim facile
fore confido, ut munus nostrum tam gratum tibi futurum
sit, quam quod gratissimum. Quare jam Plutarchum il-
lum Chæroneum primum, testimonium Græcè dicentem
audiamus.

Plutarchus per initia apophthegmatum Regum & imp.

ὄροντος ἡ βασιλείῃς ἡ ἀρταξέρξῃ γαμρὸς, ἀτιμὰ φερεῖσιν
δι ὄρον καὶ κατὰ τὴν ὄρον, ἔρη κατὰ τὴν ὄρον τῶν ἀριθμητικῶν
δρακτύλων, ἣν μὲν μυριάδας, ἣν δὲ μονὰς ἀριθμοὺς ὀνομάζουσι,
το αὐτὸ καὶ τὸς τῶν βασιλείων φέλου, ἣν μὲν τὸ πᾶν ἀνάστασιν,
ἣν δὲ τετρακτύον.

Hoc est, Orontes Regis Artaxerxis gener, quum ob
iram inhonoratus condemnatusque jaceret: Quemadmodum
(inquit) computatorum digiti nunc decem millia,
nunc unum significare possunt, eodem modo & Regum
amici quandoque omnia, quandoque minimum possunt.

Macrobios Saturnal. lib. 1.

Inde & simulachrum ejus plerumque fingitur manu dex-
tera, trecentum: & sinistra, sexaginta quinque numerum
tenens: ad demonstrandam anni dimensionem.

Plinius Natur. hist. lib. 34. cap. 7.

Ianus Geminus à Numa Rege diceatur, qui pacis bellique
argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum
quinquaginta quinque dierum nota per significationem
anni, temporis & ævi, se deum indicaret. Sed ut obiter u-
trunque autorem emendemus, rectius apud Plinium scri-
ptum est Quinquaginta quinque, quam apud Macrobi-
um Sexaginta quinque: nam profectò quàm anni dimensio-
nem statua à Numa esset constituta? aut certè quonam pa-
do ea potuit tunc anni ratio indicari, quam multis post
annis C. Cæsar Pont. Max. instituisse? Verba autem illa
duo apud Plinium (per significationem) ut adulterina,
inducenda sunt.

Apuleius Apologia 2.

Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro
computationis gestu errasse, quos circulare debueris di-
gitos aperuisse. Quum verò quadraginta, quæ facilius cæ-
teris porrecta palma significantur, ea quadraginta tu di-
midio auges: non potes digitorum gestu errasse, nisi foret
triginta annorum Pudentillam ratus, binos, cuiusque an-
ni Consules numerasti.

Quintilianus Orat. Instit. lib. 1.

Nam quum sit geometria divisa in numeros atque for-
mas, numerorum quidem notitia non oratori modo, sed
cuiuscunque primis saltem literis erudito necessaria est. In
caulis verò vel frequentissimè versari solet, in quibus a-
ctor, non dico, si circa summas trepidat, sed si digitorum
solum incerto, aut indecoto gestu à computatione dissen-
sit, iudicatur indoctus.

Juvenalis Satyra 10.

Atque suos jam dextra computat annos.
Sed quid ego plura, in re non dubia? quasi verò (Lector
optime) jam te ita digitis ludentem videre mihi non vi-
dear, ut risum moveas.

INCIPIT PRÆFATIO.

§ BRIDFER TI RAMESIENSIS
GLOSSÆ.

Præfatio. id est, præloquutio. Incipit. Compositum ver-
bum est ex integro & corrupto: ut, In, integra pars est, &
Cappio, corrupta, a enim mutatur in i, & corrigitur Incipit
autem est inchoat, vel initium capit, vel exordium sumit.
Quidam autem dicunt, quod componitur ex In, præposi-
tione, & Cæpi, defectivo verbo, quod tantum præteritum
habet, & per se scribitur, & significat cæptionem, vel in-
choationem, unde & legitur: Cæpit David arcem Sion.



De natura rerum & ratione tem-
porum, duos quondam strid-
o sermone Libellos composuimus: nunc
prolixius de Temporum ratione
(Domino juvante) dicturi neces-
sarium duximus, ut illis primò,
promptissimamque flexus digitorum, paucis
præmonstrare solemus, ut quum maximam
computandi facilitatem dederimus, tum para-
tore legentium ingenio ad investigandam dilu-
cidamque computando seriem temporum venia-
mus. Neque enim contemnenda, parvive pen-
denda est regula, cujus omnes partes sacræ expo-
sitores Scripturæ, non minus quam literarum
figuras monstrantur amplexi.

Glossa. § De natura rerum, &c. Non est prætermittend-
um quum dixit de natura rerum, cur non etiam de Natura
temporū, vel de Ratione rerum & ratione temporū dixit.
Aliud est ergo de natura rerum differere, aliud de ratione.
Natura rerum, est substantia ipsa spiritualis vel corporalis
creaturarum cum qualitatibus propriis, sed prius querendum
de natura temporum, ut facilis ratio eorum appareat, non
enim in hoc loco ratio pro natura posita. Natura ergo tem-
porum est, mutabilitas rerum motus: sed quoniam motus
iple ordinatus est, & naturalis numeros non excedit, à Deo
creatus est, & creatura ordinata est, & potest propria sub-
stantia esse & aliarum creaturarum qualitas, i.e. ordinata
mutabilitas, sed quia motus ipse, qui est temporis substan-
tia, naturales articulos habet, & moriarum certa & secreta
spatia, quæ de ipsis articulis vel moriis aliquid differunt,
ratio temporum appellatur. Non ergo de motibus rerum,
auctor istius libri differuit, sed de articulis & certis spatiis
temporalium motionum Libellum composuit. Statu, cur-
su, & fine temporū, totus istius libri textus perficitur. Pri-
ma enim pars, i.e. à principio usque ad Chronica, statum, id
est, naturalem temporum cursum continet. Media verò, i.
e. quæ in Chronicis continentur, cursum temporum, id e.
quæ in eis facta sunt, pronunciat. Ultimo autem finem
temporum, i.e. reliqua sexa ætatis & diem iudicij decla-
rat. Namque quævis tempus semper videatur esse in motu,
tamen ad statum redit, à quo inchoat. Niquam enim mo-
tus fieri potest, qui non aliquando à statu inchoaverit. La-
bentibus temporum curricula, finem cum voluerit im-
ponet. Ubi notandum, quia si ipsa tempora finiendi esse pro-
nunciat, difficilis questio est. Tempora enim creata & or-
dinata à Deo, substantia sunt. Quomodo ergo creata sub-
stantia deficiet, nisi forte ipsa signa, cujus motibus effi-
ciuntur, tempora stabilia erunt, & currere cessabunt? quod
nonnumquam credere possumus, nam si semper cœlestia signa cu-
currerint, necesse est tempora finem non habere. Si autem
labentes temporum curricula dicit ea, quæ in temporibus
aguntur, id est, humana negotia, homines nasci, crescere
decretere, mori: similiter & cœtera animalia, ligna, olera

defice.

deficere, renovari, &c. facillius quæstio est. Ista enim omnia inter curricula finem habebunt, aut certe sic intelligendū est: Omnia tempora, & ea quæ in eis aguntur, finem habebunt, sed ea quæ in temporibus aguntur, ita finem habebunt, ut penitus non sint: ipsa verò tempora ita finiuntur, non ut eorum naturalia cessent spatia, sed ut ipsa currere non sentiantur. Quum enim summis hominibus ipsa æternitas apparuerit, ubi nihil præterit, nihil futurum est, sed semper idem est, tunc quicquid temporum præterabitur, non sentitur: sicut nos quum requiescimus in somnis, prætereuntia spatia non sentimus, unde Propheta dicit: melior dies una in atrijs meis super millia. Et alibi: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. In nomine n. ebrietatis, obliuio omnium rerum mutabilium intelligitur. Sed omnibus his Hebraicæ veritatis integram profero puritatem, quam præminentissimi doctorum Hieronymus in libris Hebraicæ quæstionum Augusti in l. de Civ. Dei. Eusebius in ple Chronographus in tertio historiarum Ecclesiasticarum libro, &c. In libro Hebraicarum quæstionum sic dicit B. Hieronymus: Sciendum quòd usq; ad diluuium, ubi in nostris ducentorum, & quòd excurrerit annorum, gentiumque quis dicitur: In Hebræo habeat centum annos, & reliquos qui sequuntur. Et post pauca: Famosa quæstio, & disputatio Ecclesiasticum omnium ventilata, quòd iuxta diligentem supputationem, 14 annos post diluuium matufalā vixisse feratur. Et quomodo verum est, quòd octo tantum animarum in arca saluæ factæ sunt? Restat ergo, ut quomodo in plerisque ita & in hoc sit error in numero. Item unde supra in 1. lib. de civ. Dei, sic dicit B. Augustinus. Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium in codicibus Græcis & Latinis, aliter in Hebræis, ubi non est ista de centum annis prius additis & postea detractis per tot generationes continuata paritas, nec malicia Judæorum, nec diligentia vel prudentia Septuaginta interpretum, sed scriptoris tribuatur error, qui de bibliotheca Ptolemæi regis codicem describendum primus accepit, ubi potuit quidem accedere etiam scriptoris error. Item in eodem libro sic dicit: Nā ex Adam usque ad diluuium computantur anni secundum codices nostros, 2262. secundum Hebræos autem 1656. Item in 16. libro, 10. capite beatus Augustinus: Sunt itaque anni à diluuiio usque ad Abraham, 1072. secundum vulgaram editionem Septuaginta interpretum. In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inveniri, de quibus rationem aut nullam, aut difficillimam reddūt. Diverso itylo, etiam à pluribus scribi dixerat antea, i. e. diversa pronuntiatione, non diversa fide, i. e. non diversa intelligentia. Hoc testimonio utitur S. Augustinus contra eos qui sensum verborum eius intelligere non valentes, dicebant Augustinum non bene scripsisse de his quæstionibus, de quibus alij scriptores bene scripserunt: i. e. facillius ex verbis aliorum scriptorum, quam ex Augustini scriptis unus atque idem sensus intelligitur. Suadet ergo eis, ut relinquunt sua scripta his qui possunt ea intelligere, & recurrant ad eos à quibus facillius sentiunt. Quoniam ideo necesse est plures libros à pluribus autoribus confici, verbis tantummodo discere repantibus, unum atque eundem sensum habentibus: ut quicquid in uno autore non intelligitur, in alio facillius intelligatur: verbi gratia, Hieronymus & Augustinus in una eademque quæstione unum atque idem senserunt: sed ex verbis Augustini intelligo, quod Hieronymi non intellexi: tu autem e contrario, Hieronymi sentis, quod Augustini non sentisti.

ALIVD SCHOLIUM JOANNIS
NOVIOMAGI.

De temporum ratione, Domino iuvante, dicturi, necessarium duximus, ut istissimam primo promptissimamque, flexus digitorum, paucis præmonstrare solerimus. Indicat Beda numerorum notationem, quæ fit vario digitorum gestu, necessarium esse computationibus temporum: cum enim cycli solares lunaresq; unde hæc temporum ratio pendet, magnis numeris expeditantur, quos scripti numerorum notis signare molestum esset, completi tam longam seriem difficile,

commodissimum est habere expeditam rationem unumquemlibet numerum exprimere flexibus digitorum, quod primum homines natura admoniti ceu apto digitorum numero, fecisse videntur. Cum, n. singula manus quinos habeant digitos, unde constat denarius, factus est hic numerus pro digitorum modo perfectus, solus & summus: nam supra denarium continuo pergentes, minores numeros omnis natio reflexit: quod non solum fit vocali numeratione, veluti decem ubi diximus, pergentes non simplici utimur dictione, sed unum repetentes dicimus undecim, i. e. deceni & unum, Verum in notis idem fit: decem, deinde reperit nota unitatis X. & l. quæ sunt undecim: & Arithmetici digitum vocant, numerum omnem infra denarium, ut 1. 2. 3. &c. Horum enim quisque digito aliquo exprimitur, veluti 1. in levæ manus pollice, 2. in ejusdem indice, 6. in pollice dextro, &c. deinceps usque ad denarium. Articulus quoque vocant numeratores, qui in decem æquales partes dividi possunt, ut 10. 20. 30. 40. hi enim articulis digitorum exprimitur veluti primus denarius (quando naturali ordine numeratur) in superiore articulo pollicis statuitur, secundus in inferiore. Sed hæc numerandi ratio, vulgarissima, & pueris nota, quam ob id posui, ut quæ esset digitorum & articulorum origo apud arithmeticos indicaretur pueris. Est alia numerorum notandorum ratio, per calculos in tabula delineata ductibus parallelis positos, quæ & ipsa vetus est, neque ab usu recessit, nisi quòd loco calculorum numis nunc utantur: atque hujus est & fuit usus in numerandi speciebus negotialibus. Nam illa quæ etiam nunc utuntur per notas Arabicas, videlicet, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. quas ziphras vocant, recens esse videntur, nec veteribus Romanis reliquisve nationibus cognita: nulla enim antiquitatis monumenta has notulas habent insculptas. Sed ad Bedam redeo. Et postremo quidam doctus & ingeniosus aliter per digitos numerandi ritus, quem hic Beda tradit, quo veteres usos esse pluribus argumentis constat, sed incuria negligentiaque hominum ab usu recessit. Veterem autem apparere ex Plinii libro 24. naturalis hist. cap. 7. ubi ait: Janum dicatum à Numa Pompilio ita figuratis digitis expressum, ut 335. dierum nota per significationem anni temporis & ævi se Deum ostenderet: & M. T. Cic. Hortensij subtilem actionis in digitos distributionem aliquoties eludit. Annotatum est quoque in historia Artaxerxis, Orontem generum regis, quum à socero indignatione quadam in ordinem redactus esset, dixisse solitum, Principum animos perfimiles videri Arithmetico-rum digitis: nam sicut computando nunc myriada digitorum gestu conficiunt, nunc monada: sic quoque qui à regibus toti pendunt, modò valent plurimum, modò ab illo honoris gradu ad imum devoluti, omnibus sunt derivati. Cælius in antiquis lectionibus eodem putat referendum esse illud Fabij in Institutionibus oratorij: Si actor (inquit) non dico, si circa summas trepidat, sed si digitorum solum imperito aut indecoro gestu à computatione dissentit, judicatur indoctus. Sed hoc loco apparet, Quintilianum respicere illam vulgarem computationem, de qua supra diximus, quod etiam de Horrenfio dici potest. Orator enim apud populum agit, qui has subtilitates sæpè non intelligeret: sed alibi invenio eum manifestius de hac computatione locutum, ut lib. undecimo de formando gestu, ubi sic habet: Nam gestum poculum poscentis, aut verbera minantis, aut numerum quingentorum flexo pollice, efficientis, quæ sunt à quibusdam scriptoribus reprehensa, ne in rusticis quidem vidi: ubi sine controversia hunc computandi modum intelligit: exprimitur autem, ut & hic ex Beda discis quingenta, dextræ manus pollice flexo versus palmam instar literæ I Græcæ, qui gestus in dicendo foret. Legunt alij quinquaginta, locum fortè non intelligentes, illa enim exprimitur sinistra: sed illa manus sola non facit gestum. Est etiam apud Apulejum locus in secunda defensione Magiæ, qui sine hac parte numerandi intelligi nequit. Notum & illud est: Arque suos jam dextera computat annos: de Nestore, qui ad centum annos pervenit. Centum autem, ducenta & trecenta, sic computantur in dextera, sicut unum, duo,